cum prædestinatione, & gratia proposuerunt Semipelagiani, ut vidimus ex D. Prospero, & Hilario, qui tamen eum respuerunt cum S. Augustino, ut late probatum est: Immo hi Patres expresse affirmant, hanc conciliationem esse nodum inextricabilem, qui aliter solvi non potest, nisi ad inscrutabilis Judicia Dei cum S. Paulo confugiamus. Quare S. Augustinus *lib. 4. contra Jul. cap. 8.* acriter defendit a Juliani calumniis ea, quæ prius dixerat *lib. de gratia Christi cap. 47.* nimirum: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Ex quibus patet, Recentiores facilem existimantes conciliationem gratiæ efficacis cum humana libertate, cum Augustino non loqui.

Secundo probatur eadem secunda Pars. Tantum enim abest, ut positio scientiæ mediæ facilem præfatæ concordiæ sternat viam, quin potius divinæ Omnipotentiæ videtur læsiva, gratiam Dei plumbeam reddere, & humanam libertatem, esto apparenter extollere, revera tamen destruere; quod §. sequenti præstare conabimur.

§. II.

Ab inconvenientibus Scientia Media impugnatur.

VII. PRimum inconveniens est, quod ex scientia media excitari videtur error Semipelagianorum, nempe prædestinationem ad gratiam fieri ex prævisione meritorum. Tunc enim ista ex prævisis meritis fit, quando in signo rationis antevertente divinum decretum, quo homo eligitur, & prædestinatur ad gratiam, ipsius futura merita Deus prævideat: sed admissa scientia media, Deus futura hominis merita prævidet in signo antecedente decretum prædestinationis ad gratiam; ergo &c. Major videtur certa. Nam si Deus in illo priori signo rationis priusquam statuat conferre gratiam homini, videat illius futura merita, non poterit non moveri ad conferendam intuitu illorum gratiam, & propter illa; eo modo, quo in prædestinatione ad gloriam, cum juxta Adversarios supponantur prævisa merita, movent hæc Deum ad prædestinandum hominem ad gloriam: & sic sicut prædestinatio ad gloriam non est gratuita, sed merces, & corona, ita etiam prædestinatio ad gratiam, & sic gratia non erit gratia, juxta illud Pauli Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Minor etiam probatur. In quocumque signo aliquid objective verum est, a Deo prævidetur; ergo si pro signo antevertente decretum dandi gratiam, hominis merita, seu bona opera objective futura sunt, a Deo prævidentur.

Si dixeris, prævideri quidem bonum consensum, sed non ut petendum sine gratia; & rursus etiam, stante tali prævisione Deum non moveri ad dandam gratiam, sub qua prævisus est homo consensurus, cum liberum Deo sit eum sub illa gratia ponere, vel non ponere, quod si ponat, gratis illam ponat.

Contra est primo. Nam nec Semipelagiani gratiam omnino excludebant (ut ait D. Prosper epist. sæpe laudata ad S. August.) *sed volebant, ut homo ideo accipiat, quia bono natura bene usus ad illam salvantem gratiam initialis gratia ope meruerit pervenire:* & ideo reprehenduntur, quia gratiam Dei, *quam comitem, non praeviam, humanorum volebant meritorum, voluntatibus* humanis subdebant; Atqui assertores scientiæ mediæ dicunt, ideo hominem gratiam efficacem accipere, quia eam bono usu, seu ea bene pro sua libertate utens, eam sibi efficacem facit, & gratiam comitem nostrorum bonorum operum, non præviam, asserunt, & dum ponunt eam suapte natura indifferentem, & a libero arbitrio hominis determinandam, videntur eam humanis voluntatibus subdere; ergo &c.

Secundo. Consensus, seu bonus usus gratiæ prævisus futurus ante decretum de danda gratia non potest esse effectus gratiæ, quia nullus effectus potest prævideri futurus pro priori ad suam causam. Tum quia ille bonus usus prævidetur, ut determinativus gratiæ ad bonum opus. Ergo quod gratia potius ad bonum, quam ad malum concurrat, ab humana voluntate est, gratiam suo usu ad bonum determinante, magis quam a gratia.

Fateor, esse quidem in Dei potestate humanam ponere voluntatem sub illa gratia, sub qua eam prævidit bene uturam, vel non ponere. At semper verum erit, quod voluntas posita in illa circumstantia consentit, & bene utitur illa gratia, quia ipsa voluit, non quia Deus, qui in tantum ab ea obtinet consensum, quia prævidit eam voliturum: unde si eam non prævidisset voliturum per suam gratiam consensum ab ea obtinere nullatenus posset. Addo, quod Deus postquam prævidit, aliquem bene usurum gratia, adhuc liber est ad eum prædestinandum ad gloriam: & tamen prædestinatio ad gloriam, si supponat merita prævisa, non censetur gratuita: ergo si etiam prædestinatio ad gratiam supponat bonum usum gratiæ prævisum, non erit amplius gratuita. Hinc videtur inferri

VIII. Secundum inconveniens, nempe ex scientia media sequi, hominem ex propriis, & non ex acceptis se discernere contra supra exponsum dictum Apostoli 1. Cor. 4. v. 7. *quis enim te discernit?* Ex hypothesi enim, quod Deus prævideat, Petrum consensurum sub gratia *A.* & Paulum non consensurum, & Deus statuat Petrum sub illa gratia; vel Petrus sese determinabit ad consensum ex sola sua innata libertate, vel talis determinatio causinda est a gratia præveniente, vel a gratia concomitante; sed Petri determinatio non est a gratia præveniente, quam ipsi negant, neque a gratia concomitante, quam ponunt ex sua natura indifferentem, & determinandam a creata voluntate; ergo oportet, ut fateantur, quod illa determinatio, qua Petrus consentiens a Paulo non consentiente sub eadem gratia discernitur, sit ex propria, & innata Petri libertate. Videantur superius dicta *dub. 4. §. 1.*

IX. Tertium inconveniens est: quia ex positione scientiæ mediæ videtur lædi divina libertas in ordine ad operationes nostras liberas: Nam juxta Adversarios: Si Deus concurreret concursu prævio, & efficaciter determinante voluntatem ad unum extremum suæ indifferentiæ, periret creata libertas: sed posita scientia media voluntas creata determinaret efficaciter Dei concursum, ejus indifferentiam ad unam partem flectendo, & hoc antecedenter ad Dei voluntatem; ergo &c.

Urgetur. Quando Deus antecedenter ad omne decretum prævidet meam conversionem sub conditione auditionis concionis, vel potest Deus meam conversionem impedire, vel non potest. Si potest: ergo scientia illa est libera, & non necessaria Deo, quia versatur circa futurum conditionatum, quod liberum est Deo, stante conditione ponere, vel non ponere: & rursus si Deus posset meam conversionem impedire, stante prævisione de mea conversione sub illa conditione futura, posset falsificare suam scientiam mediam, sicut si de facto impediret, eam de facto falsificaret. Si autem non potest; Ergo tollitur divina libertas, quæ necessitatur ad aliquid ex suppositione, libera quidem creatura, sed non sibi.

Explicatur magis: Ad hoc ut Deus sit liber respectu consensus nostri liberi, omnino prærequiritur, quod sub illo auxilio determinato, in eaque occasione, qua Petrus potest consentire; & non consentire, Deus possit ponere consensum, & carentiam consensus: sed supposita prævisione scientiæ mediæ, quæ Deo non est libera, de carentia consensus Petri, Deus ex hac suppositione sibi non libera, jam non potest in Petro ponere consensum: nam in principiis scientiæ mediæ voluntas divina non potest facere, ut voluntas creata consentiat sub illo auxilio, & in ea occasione, in qua posita voluntas creata nollet se determinare ad consensum; ergo &c.

X. Respondent primo, sufficere ad libertatem Dei, quod Deus libere conferat Petro auxilium, quo possit se convertere, & non convertere, & quod Deus libere concurrat concursu simultaneo ad quodcumque extremum contradictionis, ad quod voluntas Petri velit se determinare.

XI. Contra est. Si Deus nullum alium influxum haberet præter collationem auxilii sufficientis, quo Petrus liber esset ad consentiendum, vel non consentiendum, & tali auxilio uti posset, ut vellet, collatio talis auxilii esset quidem libera, in potestate Dei: usus tamen, & determinatio talis auxilii esset certe libera, & in potestate Petri: non tamen esset libera, & in potestate Dei: sicut si Petrus daret Paulo pecuniam, ut posset emere equum, & nullum alium influxum haberet determinando Paulum ad emptionem equi, non posset dici causa libera determinationis, seu emptionis equi, sed concursus simultaneus Dei, supposito auxilio sufficienti, non est Deo liber, sed necessarius, quia in principiis scientiæ mediæ concursus simultaneus Dei plene subjicitur determinationi voluntatis creatæ, & consequenter Deo necessarius, nisi supponatur alius concursus antecedens causans liberam Petri determinationem; ergo &c.

XII. Respondent secundo, ad libertatem divinæ voluntatis sufficere, quod Deus possit determinare consensum Petri sub aliquo auxilio, immo & sub infinitis aliis, sub quibus prævidet, eum consensurum, quamvis non possit sub hoc auxilio, & sub his circumstantiis.

Sed quis non videt, hoc esse plus potestatis arrogare libertati humanæ supra suos actus, quam divinæ contra celebre dictum S. Augustini *lib. de corrept. & grat. c. 15.* Deus *magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas?* Etenim consensus est Petro absolute possibilis sub quocumque auxilio, Deo autem sub hoc auxilio esset absolute impossibilis.

XIII. Hinc emergit quartum inconveniens eversivum supremi Dominii Dei, quod sic propono. Si necesse est, ut Deus per scientiam mediam prius exploret, quid voluntas humana facura sit in variis circumstantiis, ne se exponat periculo definiendi aliquid incertum, & quod a creata voluntate impediatur, non poterit dare auxilium efficax ad vincendum, & convertendum cor durum, sive ad perseverandum, nisi explorata prius voluntate creata, & prævisa circumstantia opportuna, qua sinat se allici, & se flecti. Atqui hoc quomodo cohæret cum supremo Dominio Dei, de quo dicitur Prov. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, qui Augustino supra relato teste, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, qui eas quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit potest in bonum convertere? Sane quis diceret Ducem aliquem esse omnipotentem expugnatorem Urbium, illas posse in omni circumstantia capere, si opus haberet captare tempora, in hostiles copias exploratores mittere, stratagemmate uti, immo & ab obsessis expectare consensum? Talem scientia media facit Deum; ergo facit quidem illum possticum, at Omnipotentem nequaquam.

XIV. Sed ut radicitus hoc appareat, placet hoc discursu sub oculis ponere. Ex admissione scientiæ mediæ, sequitur, aliquid ex habitudine terminorum possibile, fieri Deo impossibile ex suppositione Deo non libera, & antecedenter ad ejus libertatem: sed hoc est evertere Dei Omnipotentiam, & libertatem, ergo &c. Maj. posita scientia media, negari non potest. Nam Petrum in hac occasione, & sub his auxiliis consentire, est ex habitudine terminorum possibile: & tamen supposito, quod Petrus in hac occasione, & sub his auxiliis non sit pro sua innata libertate consensurus, & hoc Deus per scientiam mediam viderit, consensus Petri in hac occasione, & sub his auxiliis sit impossibilis Deo, ex suppositione non consensus,

sensus, & scientiæ mediæ de illo, quorum neutrum est liberum Deo, & utrumque antecedens Dei libertatem. Posita namque tali scientia de non consensu Petri, non est in potestate Dei conjungere consensum Petri cum scientia media de non consensu, alioquin posset falsificare illam. Neque esset in potestate ejus ponere consensum divisum a scientia media de non consensu: ad hoc enim secundum Adversariorum principia, quibus utuntur adversus nos, necesse foret, ut in potestate Dei esset abjicere a se scientiam mediam de non consensu, vel facere, ut ea stante non existeret non consensus. Neutrum autem in potestate Dei est: nam nec potest a se abjicere talem scientiam, quia illam habere, vel non habere in potestate Dei non est, neque facere, ut non consensus stante tali scientia non sit, alioquin illa scientia non esset infallibilis.

XV. Quare ad hominem arguo sic: omnis suppositio antecedens, quam ponere, vel auferre non est in agentis potestate si sic infallibilis, tollit agentis libertatem; sed scientia media de non consensu Petri in tali occasione est suppositio antecedens divinam libertatem; eam habere, vel non habere non est in Dei, sed hominis potestate, & infallibiliter connexa cum non consensu; ergo tollit Dei libertatem circa consensum. En quomodo pessumdant Dei libertatem, ut sartam tectam tueantur humanam. En quomodo eadem principia, quibus nos oppugnare conantur, contra ipsos convertuntur.

Ab aliis inconvenientibus producendis supersedeo, quæ videre quisquis poterit apud Nostrates. Nunc fundamenta, quibus scientia media incumbit, examinanda transeamus.

§. III.

Fundamenta Scientiæ Mediæ.

XVI. PRæcipuum scientiæ mediæ fundamentum est componere efficaciam gratiæ cum humana libertate, sine qua ajunt, hanc funditus everti: ita gloriantem Molinam superius audivimus. Sed audivimus etiam, hac eadem ratione illam excogitasse Semipelagianos; qui tamen, nec a Prospero, nec Hilario, neque Augustino auscultati fuerunt. Præterquam quod quomodo fundari potest libertas creata in ruinis, & eversione libertatis divinæ? Libertas creata, & secunda non subsistit: sed ruat necesse est, eversa increata, & prima: quod posita scientia media eveniret, ut ostensum est. Argumenta vero, quibus imponunt, efficacia gratiæ lædi creatam libertatem, nisi scientia media statuatur, audiemus tract. sequenti *de voluntate, & decretis Dei*, eaque solvemus. Nunc ea, quæ directe positionem scientiæ mediæ ex ratione respiciunt, proponamus. Quæ enim ab auctoritate ducuntur, superius diluta sunt.

XVII. Primo arguunt. Scientia, quæ tuetur libertatem voluntatis creatæ, & reddit ex alia parte cognitionem Dei valde mirabilem, & humani ingenii facultatem in excessum superantem, consona rationi est: scientia media utrumque præstat, facit enim, ut voluntas creata se determinet, quod exigitur a libertate. Et insuper quid mirabilius, quam videre, quid futurum sit in quacumque rerum combinatione, antequam Deus quidquam decernat? Certe hoc magis mirabile est, quam illud videre in decreto jam posito, & existente.

XVIII. Respondetur ad primam, disting. maj. tuetur libertatem modo debito, conc. maj. modo indebito: nego maj. & similiter disting. min. nego conseq. Modus debitus tuendi libertatem creatam est illam constituere religiosam, & Deo subditam; non vero eam constituere irreligiosam, & independentem, qualem supponit scientia media, ut probatum est, & tractatu sequenti plenius ostendetur.

Ad secundam dico, hanc esse altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, ut ipsa, ejusque decreta antecedant; & causent omnem nostram cogitationem, & determinationem, eamque absque læsione nostræ libertatis faciant; potius quam ponere scientiam, & voluntatem Dei pedissequam, & mere exploratricem nostrorum operum, a quibus dirigatur necessario in suis decretis formandis. Non talem certe agnovit S. Paulus *Rom. 11. v. 33.* ubi postquam fuse ostendisset, Deum pro sua voluntate de hominibus facere quod vult, misereri cui vult, indurare quem vult, eum figulo comparando: exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!... quis consiliarius ejus fuit?*

XIX. Secundo arguunt. Sicut effectui, qui est, correspondere debet causa, quæ est, ita effectui, qui esset, correspondere debet causa, non quæ sit, sed quæ esset; At futurum conditionatum non est, nec erit, sed *esset si*: ergo, ut si futurum, non requirit decretum Dei, quod sit, sed quod esset.

XX. Hoc, quod adeo magnificant Adversarii, merum sophisma est. Eadem enim ratione posset sic discurri. Sicut effectui, qui est, debet correspondere causa, quæ est, ita effectui, qui erit, correspondere debet causa, quæ erit; sed futurum absolutum non est, sed erit: ergo non requirit decretum, quod sit, sed quod erit: quod ipsi negant. Sicut ergo ad futurum absolutum ideo requiritur decretum actu præsens, quia de re, quæ erit, de præsenti actu verificatur, quod sit futura, idest quod sit nunc determinata ad esse absolute pro tali, vel tali tempore: ita cum etiam de præsenti sit verum, quod conditionate futura esset, si poneretur conditio, requiritur aliquod actuale statuens illud fore, si conditio poneretur, potius, quam non fore, cum inter conditionem, & eventum nulla supponatur intrinseca connexio.

In forma ergo respondeo, dist. maj. quæ esset: si de præsenti verum sit, quod esset, transeat maj. Ut enim nunc verum sit dicere, quod futurum illud esset, si poneretur conditio, requiritur, ut nunc statutum sit; quod esset posita tali conditione potius, quam non esset.

XXI. Aliter diluitur hoc sophisma, disting. sic. Effectui, qui esset, debet dari causa, quæ esset, idest quæ ipsum exequeretur, conc. maj. quæ ipsum decerneret, nego. Nam ut nunc verum sit, quod esset, debet dari nunc causa decernens, ut esset si &c. sicut si dicatur: effectui, qui erit, debet assignari causa, quæ erit; sed futura absoluta non sunt, sed erunt; ergo non habent causam, quæ sit, sed quæ erit: distingui debebit maj. Causa quæ erit, idest causa, quæ exequetur, conc. maj. Causa, quæ decernet, nego maj. Futurum enim supponit causam, quæ decernat, vel decreverit, quod erit, quia ea, quæ sunt, in tantum fuit verum, quod fuerunt futura, antequam essent, quia in causa sempiterna fuit, ut essent futura. D. Thom. *1. p. q. 16. art. 7. ad 3.*

XXII. Tertio arguunt. Deus futura conditionata non cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, hæc enim, utpote necessaria, attingit solum possibilia: neque per scientiam visionis, hæc namque, utpote intuitiva fertur solum ad præsentia, qualia sunt ea, quæ aliquando erunt, non vero ea, quæ nunquam erunt, sed essent, sed hæc sunt futura conditionata de conditione nunquam ponenda; ergo cognoscit ea per scientiam mediam.

XXIII. Respondetur, aliquos velle, præfata futura conditionata cognosci a Deo per scientiam visionis, hac enim cognoscit Deus, non solum creaturas, quæ aliquando erunt, & ideo sibi præsentes; sed etiam sua decreta, quæ cum actu in eo sint, ideo in illis potest futura conditionata cognoscere. Sed si hoc verum est, etiam cognoscens intuitive suam omnipotentiam, in illa poterit intuitive cognoscere possibilia, quia licet hæc Deo præsentia non sint, illi tamen præsens est sua omnipotentia; & sic nulla dabitur in Deo scientia simplicis intelligentiæ.

Quare verius respondetur, ea cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ. Esto enim futura conditionata a statu possibilium inchoate extracta videantur; cum tamen eorum existentia pendeat a conditione, quæ nunquam existet, ideoque mere possibilis remanet, ad statum puræ possibilitatis quodammodo retruduntur, ideoque capacia sunt terminandi cognitionem abstractivam, non intuitivam. Neque obest, quod cognitio, qua Deus ea cognoscit, utpote nixa decreto, non sit necessaria, sed libera: Quandoquidem de conceptu simplicis intelligentiæ esto sit esse abstractivam, idest attingere rem actu non præsentem, non tamen de ejus conceptu est esse necessariam. Immo sicut scientia visionis necessaria est, quatenus terminatur ad prædicata divina, & libera quatenus attingit creaturas; ita scientia simplicis intelligentiæ abstrahit ab eo quod sit necessaria, & libera; necessaria quidem erit, dum terminatur ad creaturas, de quibus nullum supponit decretum, libera vero, dum terminatur ad eas, de quibus supponit decretum conditionatum objective, seu ad ea, quæ essent, si poneretur conditio, sed quia conditio non est ponenda, possunt quidem esse, sed nunquam de facto erunt.

D U B I U M VIII.

An Scientia Media admittenda sit in Deo pro Angelis, Viatoribus, & pro Homine in statu Innocentiæ.

§. I.

Status quæstionis.

I. QUidam, qui Augustinianæ Doctrinæ se professores, ac sectatores esse gloriantur, esto a Deo pro præsenti naturæ vitiatæ statu ponant divinam motionem per se, & ab intrinseco efficacem, & consequenter scientiam mediam a Deo exulare faciant; ubi tamen de statu primi hominis, seu naturæ innocentis, & Angelorum, dum essent in via, sermonem habent, gratiam solum versatilem, ex natura sua indifferentem, & ex consensu efficacem admittentes, pro illo statu scientiam mediam admittere coguntur: atque ita, dum de statu naturæ lapsæ agunt, Thomistæ sunt, dum vero de statu hominis innocentis, sive Angelorum loquuntur, transeunt ad Molinianos.

II. Ita opinantibus facem præfert Iprensis Jansenius, tum *lib. de gratia primi hominis, & Angelorum c. 22. 13. & 14.* tum *lib. de gratia Christi cap. 2.* Cum enim gratiam per se efficacem ex triplici præsertim titulo asserant Thomistæ, nimirum, ex indifferentia creatæ voluntatis. Secundo ex necessaria subordinatione voluntatis creatæ Voluntati divinæ. Tertio ex infirmitate, & corruptione creatæ voluntatis peccato sauciatæ, & depravatæ; quæ, cum in privatum bonum tota propensa sit, & quasi incurvata, in Deum erigi, nisi adjuvetur, & sublevetur, non potest: Jansenius, & cum eo præfati Doctores, gratiæ per se efficacis necessitatem, ex hoc uno postremo titulo repetunt. Quo fit, ut, cum nulla in homine innocente, sive in Angelis corruptela, aut depravatio esset, nec eorum voluntas foret ullo vulnere sauciata, nullam in homine puro, aut Angelis gratiæ per se efficacis, sed solius gratiæ sufficientis libero arbitrio versatilis, necessitatem agnoscant, & ita sensisse S. Augustinum contendant. Quare Thomistas contrarium docentes, Aristotelicos potius esse, quam Augustinianos pronuntiat Jansenius citato *lib. 8. de gratia Christi cap. 2.* An vero audiendi sint cum Jansenio Recentiores, qui se Augustinianos jactant fideliores, videamus.

§. II.

Resolutio dubii.

III. DIco. Scientia media a Deo releganda est, nedum pro statu hominis lapsi, sed etiam pro statu hominis innocentis, & pro statu viæ Angelorum, & hæc est mens S. Augustini.

Probo primo sic: Tunc pro omni statu releganda est a Deo scientia media, si pro omni statu necessaria est gratia per se efficax, & movens ad actu bene operandum; sed hæc pro omni statu necessaria est, & hoc asserit S. Augustinus; ergo &c. Maj. per se patet, quia posita gratia per se efficaci ruit objectum scientiæ mediæ, ejusque fundamentum evertitur.

Min. vero, & præsertim quod hæc sit mens D. Augustini, probatur primo. Mentem S. Augustini melius exploravit S. Thomas, quem Jansenius vocat *Augustinum contractum*, quam Jansenius ipse, ejusque gregales; sed S. Thomas gratiam per se efficacem, & moventem necessariam judicat pro omni statu; ergo &c. Maj. probatur ex Jansenio ipso, qui *lib. prooemiali de ratione, & auctoritate cap. 22. Quidquid*, inquit, *vera Theologia in Scholastica S. Thomæ continetur, usque ad ipsorum articulorum fundamenta, ex Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum Testamentum, nihil est aliud, quam veras revelatum, & Augustini doctrina de Gratia Dei nihil præter fidei principia in suas deducta conclusiones: ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte, nihil sit aliud, nisi* Augustinus contractus, *certaque proportione naturalibus principiis alligatus*, secundum quod congruit, *ut ipse Thomas loquitur* ad eruditionem incipientium *1. part. in præfat.* Hoc elogio Sanct. Thom. ornat Jansenius. Quo supposito probat. min. Quod scilicet de mente Div. Thomæ sit, quod in utroque statu requiratur auxilium gratiæ moventis.

IV. Primo ex 1. 2. *q.* 109. *art.* 2. *in corp.* Ubi, postquam docuit, hominem in statu naturæ integræ indiguisse virtute superaddita virtuti naturæ quantum ad unum, scilicet *ad operandum, & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo: scilicet, ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium*. Statim subjungit: *Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum*. Cujus notionis necessitatem articulo præcedente probaverat, quia cum bonus usus sit quidam motus; *sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cælestis corporis, sicut in primum movens corporale: ita omnes motus, tam corporales, quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus*. Ex quo principio art. 2. laudato ad 1. concludit, quod *motus hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo*.

V. Secundo idem docet *q. cit. art. 3. in corp.* ubi cum præmisisset, quod *homo in statu naturæ integræ, poterat operari virtute sua naturæ bonum, quod est sibi connaturale absque superadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei moventis*, deveniens ad naturalem dilectionem Dei, sic statuit: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc, auxilio gratiæ naturam sanantis*.

VI. Tertio eadem qu. art. 9. *Homo*, inquit, *in gratia existens, non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Et hoc propter duo. Primo quidem ratione generali, propter hoc, quod sicut supra dictum est* (art. 3.) *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Secundo ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ*, corruptæ scil. & infectæ. Ecce D. Th. perpetuus in asserenda necessitate divinæ motionis, non ex speciali ratione naturæ corruptæ, sed ex generali naturæ creatæ, quæ se movere adhuc libere actu non potest, nisi moveatur a Deo. Vel ergo S. Thomas ab Augustino recedit, vel ab Augustino, & S. Thoma recedit Jansenius.

VII. Secundo probatur min. principalis directe ostendendo, S. Augustinum in omni statu voluisse gratiæ per se efficacis necessitatem ad bene operandum, & perseverandum, ex variis S. Augustini principiis.

Primum est, quod *si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse, vel bona, vel mala: bona vero voluntas ex nobis est, melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est* (ita *lib. 2. de peccat. meritis, & remis. c.* 18.) quo ruit illud Apost. 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes quod non accepisti?* Ex quo principio Jansenius, ejusque assectæ, dicunt a Sancto Augustino rejici gratiam versatilem pro statu naturæ corruptæ, si enim gratia, ut a Deo, esset indifferens ad bonum, & malum, a nobis autem determinaretur ad bonum, melius foret id, quod est a nobis; quam quod a Deo est. Sed hoc evincit, etiam ab homine innocente, & ab Angelis gratiam versatilem esse rejiciendam: æque enim inconveniens esset, in hominibus innocentibus, & Angelis aliquid esse, quod a Deo non accepissent, & melius fore id, quod ab ipsis esset, nempe bona & constans in bono voluntas, quam id, quod esset a Deo, nempe voluntas ad bonum, & malum flexibilis; ergo &c. Quare præfatum principium Angelis viatoribus ipsemet S. Augustinus accommodat *lib. de Civ. Deo c.* 9. dicit enim primo, quod *si boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores a se ipsis, quam ab illo facti sunt. Absit ... Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit, profecto, & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent*. Inferius autem assignans rationem, cur cum omnes Angeli in bona voluntate creati sint; aliqui ceciderunt, aliqui vero steterunt; dicit secundo, cecidisse, quia, *aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt, aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*. Quibus non solum de prima bona voluntate, in qua a Deo conditi sunt loquitur Augustinus, ut exponunt quidam, sed etiam de secunda, qua, aliis cadentibus a bono, in bono perstiterunt, & qua ad beatitudinem pervenerunt. Cum ergo dicant, hanc habuisse operante *adjutorio Creatoris*, & quia *amplius adjuti* fuerunt, evidens est, præter auxilium sufficiens, in quo pares ab initio fuerunt, in perseverantibus fateri S. Augustinum ulterius, & amplius adjutorium, quo perseverarent adfuisse.

VIII. Secundum Sancti Augustini principium sumitur ex verbis Apostoli 1. Corinth. 4. 7. *Quis enim te discernit?* Ex quo cum eodem S. Doctore superius probavimus gratiæ per se efficacis necessitatem in præsenti statu; alioquin homo consentiens a non consentiente se discerneret, non Deus; Unde sic discurro. In omni statu Deus esse debet, qui perseverantem in bono a non perseverante discernat, cum perseverantia donum Dei sit, & quidem maximum; sed si in Angelis, & in homine innocente alia gratia non esset, quam versatilis, non esset Deus, qui perseverantem a non perseverante discerneret, sed Angelus, vel homo se ipsum discerneret; ergo &c. Quapropter idem S. Augustinus *lib. 11. de Civit. Dei cap.* 19. dicit: *inter Sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, ubi dictum est*, & divisit Deus inter lucem, & tenebras .... *solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent præscire casuros* .... ne autem quisquam reponeret, sola præscientia eos discrevisse subdit: *Inter illam vero lucem ... & ei contrarias tenebras ... ipse dividere potuit, cui etiam futurum, non naturæ, sed voluntatis malum: occultum, ac incertum esse non potuit*. Quare præscientiam supponit quidem, non tamen tamquam causam lapsus, alias discretionem illam Dei opus non diceret, si eam Deus nude ac simpliciter præscivisset.

IX. Insuper, nec refert, quod 12. *de Civ. Dei cap.* 9. dicat: *quod eatenus sunt isti* (idest boni) *ab eorum Societate discreti, quod illi* (nempe boni) *in eadem voluntate bona manserunt; isti* (nempe mali) *ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hac ipso, quod a bono defecerunt*.

X. Nam respondeo, S. Doctorem illis verbis voluisse solum ostendere, & eos, qui steterunt libere stetisse in bono, & eos, qui mutati sunt, sua voluntate a bono defecisse: non vero assignasse causam totalem, & principalem talis discretionis, quam Deum esse ibidem tradit, ut vidimus. Alioquin, cum eodem *lib.* 12. *cap.* 6. de duobus adolescentibus æqualiter affectis, & æquali tentatione pulsatis, quorum *unus ei cedat, alter idem quod fuerat perseveret*, dicat, *quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Concludi deberet, etiam in præsenti naturæ corruptæ statu sola gratia versatili, aliquem in bono perseverare, nec opus esse gratia per se efficaci; quod Adversarii, quibuscum pugnamus, contra Molinianos negant.

XI. Superessent alia Sancti Augustini principia, quorum aliqua superius expendimus, necessitatem gratiæ per se efficacis probantia in omni statu, & quibus scientiam mediam Semipelagianorum S. Doctor rejiciebat: Nimirum, quod ea posita non salvaretur in Deo cordium inclinandorum omnipotentissima potestas. De voluntatibus hominum facere quod vult: magis Deum habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas. Spem nostram unice in Deo reponendam: hominem innocentem æque ac nos necessitatem Deum orandi, ut illi donum perseverantiæ concederet, gratias insuper Deo agendi habuisse, ipsique sese humiliandi: quæ omnia cum pessum irent, si in statu præsenti naturæ corruptæ scientia media cum gratia versatili poneretur, ut adversarii ex Augustino fatentur, non minus ruerent, si illa poneretur in statu naturæ innocentis, & in Angelis viatoribus. Quare videntur mihi hi, qui se Augustinianos jactant, quod una manu ædificarunt, altera destruere, Augustiniani esse, & Moliniani; seu verius nec veri Augustiniani, nec veri Moliniani. Sed ab his supersedeo, quæ fuse & erudite pertractata a Doctissimo nostro P. Serry in suo Augustino conciliato quisquis videre potest. Nunc fundamenta Adversariorum ad trutinam vocanda sunt.

§. III.

Fundamenta contraria.

XII. PRimum ac præcipuum suæ opinionis fundamentum sumunt Adversarii ex Sancto Augustino *lib. de corrept. & gratia*, in quo (ajunt) mentem suam expressit Sanctus Doctor. Ibi enim *cap.* 10. 11. & 12. cum contra Pelagianos quoddam genus gratiæ ad pietatis opera necessarium prædicasset, quam Deus sine ullis meritis, cui vellet, concederet, cui vellet, denegaret: statim obmurmurare cœperunt Monachi quidam Adrumetini Monasterii, inter alia dicentes: si ita est; nemo corripiendus est, si forte bonum non faciat, aut in bono non perseveret, cum nec bonum agere, nec in bono perseverare possit, nisi habeat talem gratiam, quam nec dare, nec promereri ipse sibi potest, sed unice a libito Dei expectare debet.

XIII. Hanc

XIII. Hanc murmurationem sedare volens S. Augustinus, ad Valentinum, qui de tali murmure ipsum certiorem fecerat, & eosdem Monachos librum dedit, cui idcirco titulum de correptione & gratia apposuit; In quo gratiæ necessitatem correptioni locum non claudere ostendit, nempe hanc querelam jamdiu prævisam a D. Paulo *Rom.* 9. illis verbis: *dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* idest quid de nobis queritur Deus, si bene non agimus, cum ipse voluntate sua, cui nemo resistit, cui vult gratiam necessariam largitur, cui vult negat? cui Paulus respondet, murmurantem objurgando, *o homo tu quis es, qui respondeas Deo?* & tandem ad Dei occulta judicia totum negotium reducit.

XIV. Verum Monachis non quiescentibus, quinimmo congestis sophismatibus postulantibus, ut causam assignaret saltem, quare Deus justo suam retraheret gratiam, sine qua perseverare non potest, & tamen, cur non perseveret ei vitio vertat, respondit tandem S. Augustin. hanc eis subtrahi ob peccatum primi Parentis ad nos usque carnali propagatione transfusum.

XV. Responsio ista Monachorum animos magis excitavit; putantes enim, se Augustinum suismet armis vincere posse, ajebant *cap.* 10. Quid ergo de primo Parente dicendum est, cui certe perseverantiæ donum datum non fuit, alioquin si illud accepisset, in justitia perseveraffet & ab ea non defecisset? *Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis, gratia largitate: nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata*.

XVI. Cui objectioni, ut satisfaceret S. Augustinus distinguens duplex adjutorium, unum, *sine quo aliquid non fit*, quod *sufficiens* a Theologis vocatur: *& aliud adjutorium quo aliquid fit*, & hoc est *efficax*. Sicut *sine alimentis non possumus vivere, non tamen, cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit*. Ergo *adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit ut vivamus*. Primum dat posse agere, si homo velit. Secundum dat actu agere. Primum datum fuit primo homini, non vero secundum. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantia, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Hæc S. Augustinus *cap.* 12.

XVII. Verum, quia de hoc nulla dubitatio esse poterat, quis enim nesciat Adamum non perseveraffe, eumque adjutorium, quo perseveraret, non habuisse? Nam nec hoc Monachi Adrumetini negabant. Controversia erat, quale esset hoc adjutorium *quo* seu efficax, an donum distinctum ab adjutorio *sine quo*, & dante posse perseverare, an vero donum ab eo indistinctum, ita ut gratia sufficiens, quia donatus fuerat, seu adjutorium *sine quo* satis fuisset ad actu perseverandum, si liberi arbitrii consensus eam reddidisset efficacem. Quod Adversarii contra quos agimus, evidenter se colligere contendunt.

XVIII. Præmiserat enim cap. 11. S. Doctor. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet, ut autem vellet in ejus reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet: quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset*, quod Angelorum exemplo confirmans, *sicut*, inquit *fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi &c.* Deinde addens, quod si tale adjutorium *sine quo* homini, vel Angelo defuisset, non utique sua culpa cecidissent, subjungit: *nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsint sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus; verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo non solum posse, quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim bonum in eo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratia, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset, nam si habuisset, perseveraffet. Posset enim perseverare, si vellet: quod ut nollet, de libero descendit arbitrio; quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male*.

XIX. Ex his, Adversarii ita discurrunt. A Monachis Adrumetinis rogatus Sanct. Augustinus, primum hominem innocentem ab homine lapso hac ratione distinxit; quod ille solo adjutorio *sine quo non*, hoc est sufficiente, quo pro suo arbitrio bene, aut male uti poterat, & permanere si vellet, & ut vellet in ejus arbitrio relinquendo, donatus fuit: Hic autem, nempe homo originali vulnere saucius, ulterius ad perseverandum indigeat adjutorio *quo*, seu efficaci: quodque tale sit, ut velit, atque faciat, ut velit. Atqui hoc est in statu naturæ innocentis ponere adjutorium solum versatile, & dependens quoad efficaciam a libero arbitrio, & consequenter Deum in eo statu per scientiam mediam præscivisse, quid Adamus tali adjutorio instructus, & in ea circumstantia positus facturus esset: ergo &c. Quare eodem cap. 12. postquam dixerat, dignum fuisse, ut cujus voluntas sine ullo fuerat institutum peccato *perseverare, vel non perseverare id ejus relinqueretur arbitrio: Deo quidem præsciente quid esset facturus injuste, præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed semel sciente, quid de illo ipse faceret juste*.

XX. Hæc tota adversariæ opinionis basis, quam ejus Patroni totius Augustinianæ doctrinæ clavem jactitant. Nodus est iste apparenter solutu difficilis. Si tamen ad ea, quæ superius dicta sunt Lector respexerit, non adeo difficilem solutionem, & S. Augustini cum se ipso conciliationem inveniet; maxime si D. Th. quem *Augustinum contractum* ab adversariis vocatum superius audivimus, attente consuluerit.

Discrimen ergo inter hominem lapsum & saucium, ac hominem integrum & sanum, & Angelos, non in eo situm est quod homo saucius egeat adjutorio *quo* Dei ad perseverandum, homo autem sanus, & Angeli eo non indiguerint. Sed in hoc, quod homo saucius egeat adjutorio sanante vulnus, homo autem sanus, & Angeli tali adjutorio non eguerint. Duplex porro per peccatum homo contraxit vulnus; unum in mente, quæ a Deo sese avertit; alterum in carne, in qua appetitus sensitivus rebellis a ratione factus est. Utrumque vulnus sanat gratia, seu adjutorium per Christum. Primum sanat gratia habitualis, quæ est adjutorium *sine quo*, & cætera dona ab ipsa fluentia, quæ mentem sanant, eique ad bonum velle vires, ac sufficientiam præstant: quia vero actualem bonam operationem carnis rebellio impedire conatur, ad hoc sanandum datur adjutorium *quo*, seu gratia efficax vincens carnis resistentiam.

XXI. Totum hoc docet D. Th. 1. 2. *quæst.* 109. locis superius laudatis, & præcipue *art.* 9. *in corpor.* Ubi postquam docuit, hominem ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indigere: *Uno quidem modo, quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata eleveturad operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ excludunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a Deo moveatur ad agendum*: subjungit: *Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Et hoc propter duo. Primo quidem ratione generali, propter hoc, quod sicut supra dictum est* (art. 3.) *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ: Secundo ratione speciali propter conditionem status humanæ naturæ: quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati &c.* En quomodo adjutorium *quo*, seu efficax, ex duplici titulo requirit in natura corrupta, & titulo generali, quia creata est, & titulo speciali, ut sanaretur quantum ad carnem, quia corrupta est. Esto igitur natura integra eo non indigeret speciali titulo, ut sanaretur, indigeret tamen, quia creata, ut a Deo moveretur ad recte agendum.

XXII. Clare etiam hoc idem expressit citata *quæstion.* 109. *articul.* 10. *ad* 3. ubi *sicut* (inquit *August. lib. de natura, & gratia* cap. 48. & apertius libr. de correption. & gratia capit. 12.) *homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum perseverantiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quod perseverent. Et sic donum Christi est majus, quam delictum Ade. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem*. Igitur non perseveravit Adam, quia defuit adjutorium quo perseveraret. Cum quo adhuc stat differentia inter utrumque statum, quia in statu innocentiæ non esset auxilium sanans quoad carnem, sicut modo.

XXIII. Quapropter ad argumentum propositum, nego maj. Differentia enim inter statum naturæ innocentis, & corruptæ non est in hoc, quod ille non egeret adjutorio *quo*, iste egeat; sed in hoc, quod status naturæ sanæ egeret adjutorio *quo* Dei moventis, sed non sanantis; iste egeat auxilio movente, & sanante quantum ad carnem. Cum enim essentia status innocentiæ in eo sita sit, quod pars superior Deo, inferior superiori perfecte subjecta sit; & essentia status naturæ lapsæ consistat in hoc, quod pars superior esto per gratiam sit subjecta Deo, non tamen ratio inferior ita sit subjecta rationi, quin motus carnis rebelles subrepant; hinc oritur essentialis auxiliorum diversitas pro utroque statu: quod auxilium *quo* in statu innocentiæ nudam, ac simplicem applicationem ad opus importat ex generali titulo Dei moventis. At auxilium *quo* in statu naturæ corruptæ, ultra hoc dicit sanare vulnus, quoad carnem; seu tam potentem ac fortem, esse voluntatis applicationem, ut appetitum sibi perfecte subjiciat, & externa impedimenta tollat. Adam ergo, ut Sanctus Augustinus docet capit. 11. gratiam non habuit *qua nunquam vellet esse malus*, seu adjutorium *quo*, & efficax; *sed sane habuit, in qua, si permanere vellet nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere non posset*; & hoc est adjutorium *sine quo*, seu sufficiens.

XXIV. Ex quibus tandem concluditur, quod secundum Augustinum primus homo duplici gratia indiguerit, ut perseveraret; una, qua posset bene agere, & perseverare si vellet, & quam posset deserere, & hæc est adjutorium *sine quo*, seu sufficiens: Altera, qua vellet nunquam esse malus, & gratiam non deserere, & hæc est adjutorium

quo sive efficax; quod homo deserere non posse dicitur, quia facit ipsum velle bonum, & velle se velle. Prius adjutorium Adamo collatum fuit, quod scilicet posset deserere, quodque de facto deseruit. Secundum vero non habuit: *Illam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus*. Hæc est genuina, & sincera Sancti Augustini mens. Alioquin si hac secunda gratia non indiguisset, non bene diceret Augustinus: *Illam gratiam non habuit primus homo qua nunquam vellet esse malus*. Nam vel non erat gratia, vel esse non poterat. Non erat gratia, si ad perseverandum nil aliud requirebatur, nisi quod Adam sua libertate determinaret auxilium sufficiens. Non poterat esse illo statu permanente, si Deus non poterat conformiter ad illum statum alio modo dare homini perseverantiam, quam dando illi auxilium sufficiens ab ipso homine determinandum; hoc enim posito esset qusdem gratia posse perseverare, at actu perseverare gratia non esset. Ex quo fit primo, quod Adamus non teneretur a Deo petere actualem perseverantiam: quid enim a Deo peteret, quod non in Dei potestate esset, sed sua? Secundo, quod in Dei potestate non fuerit, quod homo, aut Angelus non caderet contra dictum Augustini *lib. 14. de Civitat. Dei cap. 27. Quis audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sic ergo* (ait Sanct. Doctor ibi) *erat constitutus Adamus, ut si de adjutorio Dei* (sine quo) *videret, bonus homo malum Angelum vinceret, si autem Creatorem, atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceret, meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa; Quia & ipsum consistere de adjutorio Dei* (nempe bene uti adjutorio sine quo) *non quidem posset sine adjutorio Dei* (nimirum *quo*) *nam sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea vivere in potestate est: quod faciunt, qui se ipsos necant: ita bene vivere sine adjutorio Dei, etiam in Paradiso, non erat in potestate; erat autem in potestate male vivere*: Sicut ergo in potestate quidem hominis est sibi vitam eripere, non tamen in vita continuare solis adjuti alimentis, nisi adsit Dei adjutorium, quo vitam conservet, ita homo in Paradiso in potestate habuit quidem Deum deserere, sed in bono perseverare cum solo adjutorio sine quo, nisi adesset adjutorium *quo*, plane non poterat. Quare ut ostenderet Deus, quid valeret liberum arbitrium absque tali adjutorio, illud primo homini, & Angelis desertoribus denegavit. Hanc S. August. adsignat rationem, cur Deus permisit Adæ, & Angelorum lapsum: sermone enim 11. *de verb. Apostoli nunc sermon. 26. cap. 3. Hoc modo* (inquit) *ostendere voluit Deus, quid valeat liberum arbitrium sine Deo*: sine Deo, inquam, scientæ, ut in bono perseveraret. *Et lib. 3. de Cantica novo cap. 8. Quid enim* (ait) *valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam monstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum autem non, nisi adjuvetur a Deo*. De quo autem adjutorio loquitur Augustinus? de adjutorio sine quo? nequaquam? Nam hoc in Adamo fuit. Loquitur de adjutorio, quod illi defuit, ut ostenderetur, sine tali adjutorio, liberum arbitrium etiam sanum nonnisi ad malum sibi sufficere. Quare *lib. de nat. & gratia cap. 48.* contra Pelagium, qui dicebat, *quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare non nostrum*. Ait S. Doctor *si de integra, & sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus ... nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset. Nam & tunc esset adjutorium Dei, & tamquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se præberet volentibus*. Quale autem esset adjutorium, quod daretur, ne homo integer peccaret, nisi efficax, seu *quo*? Adversarii ergo volentes in primi hominis potestate fuisse non peccare, esto in ejus potestate non fuerit posse non peccare, ideo negant adjutorium ad non peccandum, & solum concedunt adjutorium ad posse non peccare, verius cum Pelagio loqui videntur, quam cum S. Augustino. Satis superque hanc materiam evolvimus, in qua si a promissa brevitate recessimus, ignoscat lector; Agebatur enim de re, qua velut charactere Schola S. Thomæ ab extraneis secerni, & pro divinæ gratiæ jure pugnare merito gloriatur. Qui de hoc postremo dubio plura optaverit adeat nostrum Antoninum Reginaldum: De mente Concil. Trident. circa gratiam efficacem *p. 2. a cap. 30. ad 34.* & laudatum Serry in suo *Augustino conciliato*.

XXV. Superesset quærere, quid addat adjutorium *quo*, seu efficax, quo indigemus in præsenti statu, nimirum sanante quoad carnem, supra adjutorium *quo*, quod ad bene agendum datum fuisset homini in statu innocentiæ, in quo fuisset quidem applicativum, sed non sanans; quia nulla fuisset in parte inferiori pro eo statu infirmitas. P. Serry in suo *Augustino Conciliato* passim, & maxime *cap. 26. & ult.* aperte sustinet, gratiam efficacem sanantem novas vires addere voluntati, novumque robur ad bene agendum, & sola auxilia sufficientia dare quidem posse; sed non expeditum, completum, & proximum.

XXVI. Attamen stando in doctrina Sancti Thomæ superius allata: nimirum, quod per gratiam habitualem, & per auxilia sufficientia anima sufficienter sanetur quantum ad mentem; & per gratiam actualem, seu efficacem sanetur solum quantum ad carnem, ejus motus inordinatos comprimendo: Non video, cur gratia efficax ut sanans debeat addere voluntati novas vires, seu eam roborare quantum ad ea, quæ se tenent ex parte potentiæ; sed solum vincere ea, quæ obsistunt ne agat, efficaciter eam applicando, & impedimenta, seu difficultates, quæ extrinsecæ potius sunt, & morales, quam intrinsecæ, & physicæ, ortæ, non ex defectu virtutis in parte superiori, sed ex resistentia partis inferioris, ne quod vellet, actu velit, & quod ageret, actu agat. Quapropter inter gratiam efficacem utriusque status naturæ integræ, & corruptæ nullam aliam differentiam puto agnoscendam; nisi quod illa applicat voluntatem ad bene agere, nec resistentiam carnis tollat, quia non invenit; ista vero, quia resistentiam invenit, & applicat, & simul resistentiam vincit. Quare Sanctus Augustinus illam vocat *interiorem*, istam *potentiorem*: non quia ista vires addat, quas non illa: sed quia ista hostem vincit, quem invenit, illa non vincit, quia non invenit. Sicut ignis applicatus ligno viridi vincit contrarium, applicatur ligno arido non vincit, quia non invenit. Et sicuti gratia habitualis primo collata Adamo, & gratia habitualis Adamo post peccatum restituta ejusdem speciei fuit: Et tamen, ut primo collata, non ejecit peccatum, quod non invenit, nec sanavit eum quoad mentem, quia non erat infirma. At ut restituta expulit peccatum, quod invenit, & sanavit mentem, quam corruptam deprehendit: Sic de gratia actuali in utroque statu discurro. Ex quo concludo, differentiam gratiæ efficacis in utroque statu sumi potius penes extrinsecum, nempe subjectum, quam penes intrinsecum, ipsam nempe gratiæ efficacis naturam.

TRACTATUS QUINTUS
DE DIVINA VOLUNTATE,
Seu de Deo Volente.

Tractatus iste, quem de Divina Voluntate, seu de Deo volente inscribimus, si quasi deforis, & in cortice spectetur, omnibus patens est, & apertus, adeo ut nemo, qui admiserit Deum esse, eum esse scientem, ac volentem negaverit. Quis enim ambigat, in Deo esse voluntatem, cujus voluntate cuncta facta sunt, reguntur universa? Verum si introspicere, ac penetrare quis conetur, non nisi abdita inaccessa, latebras caligine plenas, mysteria humanum captum superantia deprehendet: ut nisi fidei lumine identidem confortaretur, merito timere posset, ne viam veritatis amitteret. Quomodo enim conciperet voluntatem divinam immutabilem, sed liberam; velle omnium salutem, sed etiam aliquorum perditionem; efficacem esse, ut ei nullus resistat, & tamen humanam non lædere libertatem? Hæc, similiaque sunt, quæ terrent animum, nisi divinæ gratiæ auxilio, cui unice fidimus, omnia hæc pro viribus nos evasuros esse speraremus. Igitur de divina voluntate primo quæremus existentiæ rationem, objectum, & divisionem. Secundo immutabilitatem, & libertatem. Tertio causalitatem, & efficaciam.

QUÆSTIO I.

De existentia, Objecto, Divisione Voluntatis Divinæ.

DUBIUM I.

An efficaciter probet D. Thomas, esse in Deo Voluntatem.

§. I.

Quod in Deo sit Voluntas.

I. Voluntatis nomine nil aliud venit, quam pondus, seu inclinatio, qua natura rationalis afficitur, & conjungitur cum bono cognito. Hanc ergo esse in Deo fides docet, omnes enim Textus Sacri existentiam voluntatis in Deo nobis ostendunt, Psalm. 113. vers. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Isaiæ 46. v. 10. *Omnis voluntas mea fiet*. Matth. 6. v. 10. Christus orare nos docet dicendo: *fiat voluntas tua*. Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Verum ne aliquis reponat voluntatem de Deo proprie non dici, sed solum per similitudinem nostri, ad eum modum, quo in ipso dicitur esse ira, & indignatio. Propterea

II. Probatur in Deo esse voluntatem proprie talem sic. Omnis perfectio simpliciter simplex, seu quæ in suo conceptu formali nullam essentialiter dicit imperfectionem, proprie, hoc est se-

est secundum propriam suam formam, ponenda est in Deo, ut superius *q. 3. de essentia Dei dub. 4. §. 2.* ostensum est: Sed voluntas est hujusmodi; ergo &c. Min. probatur. Tum quia si intelligere verum, est perfectio simpliciter simplex, & ideo in Deo statuimus intellectum, & scientiam secundum propriam rationem, ab omni imperfectione, quam habet in creaturis, defœcatam: cur prosequi bonum, & erga illud affici, perfectio simpliciter non erit? Eo vel maxime, quod, ut statim dicemus, voluntas necessario consequitur ad intellectum? Tum etiam. Si quia Deus est infinite verus, non esset perfectus, nisi se ipsum intelligeret; cur, cum sit infinite bonus, perfectus esset, etsi suam bonitatem non amaret, cum sicut verum est intelligibile, ita bonum amabile sit?

III. Neque dicas, hanc esse conditionem voluntatis, ut moveatur ab objecto suo, nempe bono, tamquam a fine, Deus autem, qui est primum movens immobile, a nullo moveri potest: Dei etiam nullus potest esse finis, cum ipse sit finis omnium.

IV. Nam respondeo, conditionem voluntatis esse, ut realiter moveatur ab objecto suo, & a fine, quando tam finis ejus, quam objectum est aliquid extra volentem: Si vero objectum, & finis voluntatis sit intra volentem, immo sit realiter idem cum volente, movetur solum virtualiter, & secundum modum significandi. Cum ergo objectum voluntatis divinæ sit sola divina bonitas, & finis sit ipse Deus, non moveatur a suo objecto, & fine nisi solum virtualiter, & secundum modum significandi; quemadmodum quia sola divina essentia, ut repræsentans divinas veritates est illa, quæ per se movet ad cognitionem sui, & divinorum, dicitur causa divinæ cognitionis solum virtualis. Sic ergo divina bonitas est virtualiter finis, & objectum movens divinam voluntatem, quia sic illi comparatur, ac si esset finis & movens; & si voluntas Dei aliquam causam habere posset, non aliam haberet, quam bonitatem suam. Esto enim Deus amet, & velit etiam bonitatem in creaturis repertam, ab hac tamen non dicitur moveri, neque hanc respicit tamquam finem, sed unice bonitatem suam. *Sic agitur* (ait D. Th. 1. *p. q. 19. art. 2. in corp.*) Deus *vult & se esse, & alia: sed se, ut finem; alia vero, ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare*.

V. Clarissime totum hoc expressit idem S. Præceptor *q. 13. de verit. art. 1. ad 3.* his verbis: *Sciendum est autem, quod voluntas, & velitum aliquando distinguuntur secundum rem; & tunc velitum comparatur ad voluntatem, sicut realiter causa finalis. Si autem voluntas, & velitum distinguuntur tantum ratione, tunc velitum non erit causa finalis voluntatis, nisi secundum modum significandi. Voluntas ergo divina comparatur secut ad finem ad bonitatem suam, quæ secundum rem est idem, quod sua voluntas; distinguitur autem solum secundum modum significandi. Unde relinquitur, quod voluntatis divinæ nihil sit causa realiter, sed solum secundum modum significandi. Nec est inconveniens, in Deo significari aliquid per modum causæ: sic enim divinitas significatur in Deo, ut habens se ad Deum per modum causæ formalis*.

§. II.

Ratio qua D. Thomas probat in Deo voluntatem.

VI. Divus Thom. hac 1. *p. q. 29. art. 1. & q. 23. de verit. art. 1.* probat. In Deo esse voluntatem hoc discursu: in Deo est intellectus, ut supra ostensum est; in Deo debet esse voluntas: omnis enim natura intellectiva volitiva esse debet. Consequentiam explicat S. Doctor sic. Sicut res naturalis, ut lapis constituitur in esse naturali per suam formam naturalem; ita natura intellectualis constituitur actu intelligens per suam formam intelligibilem: sed res naturalis constituta in actu per suam formam naturalem, fundat inclinationem naturalem ad bonum conveniens illi, ratione suæ formæ naturalis; unde ex forma, seu natura lapidis nascitur in lapide naturalis inclinatio in centrum tamquam illi ratione formæ gravitatis conveniens; ergo natura intellectualis cognoscitiva boni, per formam intelligibilem fundat inclinationem ad bonum cognitum per illam, ut conveniens; sed inclinatio in bonum, ut cognitum per intellectum, est inclinatio non mere naturalis, sed elicita, quæ est voluntas; ergo natura intellectiva boni necesse est, ut sic etiam volitiva.

VII. Ex hoc discursu colligitur primo, non posse dari naturam intellectivam, quæ volitiva non sit. Non enim dari potest natura, quæ sit intellectiva entis, & non intellectiva boni convenientis sibi, quia est idem ens, ac bonum, & bonum est proprietas entis: sed natura intellectiva boni convenientis sibi debet esse volitiva illius: cum enim bonum cognitum ut conveniens sit excitativum ad sui amorem, sicut e contra cognitum, ut disconveniens, sit excitativum cognoscentis ad sui fugam; necesse est ut in cognoscente bonum sit vis, qua possit a tali bono excitari, & illud prosequi; hæc autem in natura intellectiva est voluntas.

VIII. Colligitur secundo, in natura cognoscitiva prius esse gradum cognoscitivum, quam appetitivum, seu volitivum. Is enim ordo servandus est inter gradus, seu potentias, qui servatur inter objecta, & inter actus: prius autem est objectum esse cognoscibile, & cognitum ut conveniens, quam esse volibile, & volitum; ergo prior etiam est vis cognoscitiva boni, ut convenientis, quam vis appetitiva illius.

IX. Colligitur tertio, quod esto ad esse cognoscitivum sequatur esse appetitivum, seu volitivum, non tamen ad omnem cognitionem sequitur actualis amor, seu volitio rei cognitæ, vel fuga ejus: plura enim cognoscimus, circa quæ non accendimur, aut amore, aut odio. Ex ea ergo cognitione solum nascitur amor, vel fuga in appetitu, quæ practice proponit aliquid, ut conveniens, vel ut disconveniens cognoscenti: si enim speculative solum cognoscam naturam sanitatis, nec eam considerem, ut hic, & nunc practice mihi convenientem, & bonam, certe nullus nascetur in me sanitatis amor.

§. III.

Quomodo Voluntas in Deo sit.

X. Observo primo, cum D. Th. 1. *p. q. 19.* laudata *art. 1. ad 2.* in Deo non esse voluntatem per modum appetitus rationalis, sicut est in nobis, sed pure per modum voluntatis: Voluntas enim ideo dicitur appetitus rationalis, quia *appetit ea, quæ nondum habet*. Nihil autem vult Deus, quod non perfectissime possideat; & sic non est in eo voluntas per modum appetitus. Quia tamen voluntas habet etiam hunc actum, *ut amet quod habet, & delectetur in illo, quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quæ semper habet bonum*.

XI. Observo secundo, cum eodem S. Doctore *q. cit. art. 2. ad 3.* quod sicut Deus uno actu omnia intelligit, ita uno actu omnia vult: *Sicut* (inquit) *intelligere divinum est unum, quia multa non videt, nisi in uno: ita velle divinum est unum, & simplex, quia multa non vult, nisi per unum, quod est bonitas sua*.

An vero ponenda sit in Deo voluntas pure per modum actus, an etiam per modum potentiæ?

XII. Dico pariformiter nos loqui debere quoad hoc de divina voluntate, ac superius de divina scientia *q. 1. dub. 4. §. 4.* locuti fuimus. Sicut ergo ibi absque ullo scrupulo distinximus in Deo tres virtualitates; unam principii radicalis intelligendi, nempe divinam naturam; aliam principii proximi, nempe intellectum, & tertiam actualis intellectionis, licet hæc tria unum ac idem realiter sint, æquivalent tamen tribus, & ideo sola ratione diversa: ita loquimur de divina voluntate, cui principium radicale volendi assignamus divinam naturam; principium proximum, divinam voluntatem; & denique actualem volitionem, qua Deus actu vult: quæ tria idem realiter sunt, sed quia æquivalent tribus, ideo dant fundamentum, ut hæc tria concipiamus in Deo.

DUBIUM II.

Quænam sit Divinæ Voluntatis objectum.

§. I.

Deus amat non solum se, sed etiam alia.

I. Deum velle non se ipsum solum, sed etiam alia a se ostendit D. Th. hac *q. 19. art. 2.* Hæc enim est conditio naturæ volentis, ut non solum tendat ad bonum habendum, cum illud non habet, & in illo quiescat, cum illud habet, sed etiam, ut velit, bonum, quod in se habet, aliis communicare quantum fieri potest: quod in rebus naturalibus patet, in quibus nedum adest naturalis inclinatio ad bonum sibi connaturale acquirendum, cum illud non habent, & dum illud habent in eo quasi quiescunt, sed insuper, ut bonum, quod in se habent, aliis communicent: unde videmus, quod omne agens in quantum est in actu, & perfectum facit sibi simile. Cum ergo Deus sit in se summe bonus, summe perfectus, & summe in actu, sequitur, ut, nedum sibi complaceat in sua bonitate, & eam velit; sed etiam velit suam bonitatem in alia a se, secundum quod capacia sunt, propagare, & sic amet alia a se. *Sic igitur* (concludit S. D.) *vult, & se esse, & alia: sed se, ut finem: alia vero, ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare*.

II. Ex qua doctrina sequitur, Deum amando alia, ab aliis tamen non moveri; quia ut advertit S. Th. laudato loco ad 2. *tota ratio movendi est finis; & hoc est quod movet voluntatem ... Unde cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua*.

III. Observandum est primo, quod amor divinus licet omnia æqualiter amet ex parte actus, & ex parte amantis, non tamen omnia æqualiter amat ex parte rei amatæ, seu ex parte boni voliti, & rebus communicati; Quibusdam enim, nempe melioribus, meliora dona largitur. Sic plus amavit Christum, quam totam creaturarum universitatem, quia ei sublimius donum communicavit. Cum enim non necessario amet creaturas, sed libere, magis vel minus amatæ a Deo dicuntur, secundum quod sibi complacet majus, vel minus bonum illis communicare. Ita D. Th. 1. *p. q. 20. art. 3.*

IV. Observandum secundo cum eodem S. Thom. *q. cit. art. 2.* quod *cum amare nihil aliud sit, quam velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia, quæ sunt, amat, non tamen eo modo, sicut nos. Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur, sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas ejus, vel vera, vel æstimata, provocat amorem, quo ei volumus, & bonum conservari, quod habet, & addi, quod non habet & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus*. Hæc D. Th.